



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Conventvi monasterij sanctæ Maridæ de Carrazeto Cisterciensis  
ordinis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

ABBATI ET CONVENTUI  
monasterij sancte Mariae de Carraxeto  
Cisterciensis ordinis.

Epist. 176.  
Confirmat  
concessionem  
Regis Legio-  
nensis.

**C**arissimus in Christo filius noster A. Rex Legionensis illustris suis nobis literis intimavit quod cum castrum de Ventosa, ex parte in possessionibus monasterij vestri situm, quod desertum fuerat ab antiquo, reaedificare ac in eodem populum congregare cepisset, idem attendens quod castro populato praedicto, tam vos quam alia loca religiosa vicina & villae nihilominus adjacentes ex eo paterentur non modicam laesionem, poenitentia ductus, destitit ab incepto, vobis & aliis locis religiosis ac adjacentibus villis concedens ne unquam in posterum ibidem populus collocetur, super hoc vobis & aliis fieri faciens publicum instrumentum. Qui etiam nobis humiliter supplicavit ut ad stabilitatem perpetuam concessionem ipsius apostolico dignemur munimine roborare. Nos igitur paci & quieti monasterij vestri providere volentes, ac devotionem regiam commendantes, concessionem eandem ad perpetui roboris firmitatem auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostrae confirmationis infringere vel ei &c. usque incursum. Datum Laterani vi. Kal. Novembris, anno tertio decimo.

ADVLPHO QVONDAM  
Coloniensi Archiepiscopo.

Epist. 177  
Conceduntur  
ei quaedam gra-  
tiae.  
Vide lib. 10.  
epist. 19. & lib.  
11. epist. 88. &  
lib. de negotio  
imper. epist. 9.  
11. 16. 39. 55.  
67. 80. 100.  
112. 115. 116.  
117. 144. 165.

**A**D hoc exemplaria caelestis imaginis in divinis voluminibus sunt descripta ut ea non solum venerari curemus, sed etiam imitari, non tam auditores verborum quam rerum factores effecti: quia non auditores legis, sed factores, iusti sunt apud Deum. Sacra quippe scriptura docente didicimus quod in arca foederis Domini cum tabulis legis virga continebatur & manna: quoniam in pectore summi Pontificis, quod per arcam foederis designatur, cum scientia legis divinae debet virga correctionis & manna dulcedinis contineri, ut sciat vulneribus sauciati oleum infundere super vinum, & quem novit ex rigore percutere, sciat etiam ex benignitate sanare, humiliando superbos, & humiles erigendo. Hinc est igitur quod licet in eo non parum deliqueris quod sine nostra licentia speciali, quin etiam contra nostram prohibitionem expressam, Ottone dimisso, adhæsisti Philippo, quia tamen impositam tibi propter hanc culpam a sede apostolica dis-

ciplinam patienter hactenus & humiliter supportasti, dignam pro meritis poenitentiam peragendo, ac per hoc quod idem Otto contra nos indignè se gerit, qui cum toto conamine studimus promovere, validissime praesumatur quod etiam contra te indignè se gessit, qui promotionis ipsius inter homines fueras prima causa, post rigorem iustitiae tibi rorem misericordiae instillare volentes, fraternitati tuae auctoritate praesentium indulgenus ut cum de mandato nostro non fueris a pontificali ordine degradatus, sed ab officio tantum pontificali remotus, liceat tibi cum pontificalibus celebrare, palleo duntaxat excepto, & ex permissione Pontificis vel Abbatis in cujus dioecesi vel cenobio fueris constitutus, Clericos vel monachos tibi canonicè praesentatos ad minores ordines promoveri, benedicere vestes, & vasa sacrare. In quibus omnibus illam te custodire volumus honestatem & modestiam adhibere ut scandalum evitando sic interdum prodesse possis aliquibus ut nullis omnino velis obesse. Ad haec etiam tibi concedimus ut si citra curam pontificali officij evocatus fueris ad aliquam ecclesiasticam dignitatem, licenter illam assumes, sed si ad praesulatum fueris postulatus, illum suscipere non praesumas nisi de alia Romani Pontificis indulgentia speciali, qui super hoc suo discreto consilio providebit quod viderit expedire. Tu ergo talem te studeas in omnibus exhibere ut gratiae tibi factae aut etiam faciendae non reddaris ingratus, sed ad haec & alia forte majora dignus & idoneus comproberis. Nulli ergo &c. nostrae concessionis &c. Si quis autem &c. usque incursum. Datum Laterani xi. Idus Novembris, anno tertio decimo.

MAGISTRIS PALMARIO  
& Ricardo Canonicis Lucani.

**I**nter dilectos filios Plebanum & Clericos de villa Basilica ex una parte ac forensium Presbyterum Lucanae dioecesis ex altera super Ecclesia sancti Genesij de Borellio dudum quaestione suborta, cum dilecti filij Prior & magister Zenobius Subdiaconus noster Canonicus sancti Fridiani Lucani de nostro eam examinaissent mandato, tandem de meritis ipsius sufficienter instructi, electionem rectoris ipsius Ecclesiae, cum aliis quae in eorum sententia continentur, plebi supra dictae villae adjudicare citrarunt, dictum Presbyterum ab eadem sententia removens. Qui cum ab eorum sententia nostram audientiam appel-